



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 55. Lautrecus fine pecuniis rursus Mediolanum missus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

bus exponens, se rem acturum cum Joanne Emanuele Cæsareæ Majestatis suæ Legato, ut adversus Gallos fœdus firmaretur; quamvis jam ante bimestre hæc armorum societas pacta fuisset. Primo equidem Galli Papæ minas flocci habebant; Pontificiam enim & Neapolitanam classem expugnandæ Genuæ successus destituit, eoquod Octavianus Fregosius opportuno adhuc tempore conjurationem a Morono Cancellario conflata detexisset, tantaque solertia portum muniisset, ut hostis exscensionem facere minime auderet. Præterea Manfredus Pallavicinus, cui Papa & Imperator hanc Provinciam demandavit, Comum urbem irrito conatu capere tentabat; tanta enim vigilantia Grammontii Comes urbis Præfectus hostium solertiam elusit, ut propulsis Pallavicini copiis ipsemet captus fuerit, quo facto eidem literæ eripiebantur, ex quibus Galliarum Rex Papam sibi aperte adversari, probe cognoverat, quam ob rem Lautrecum quantocius Mediolanum reverti jussit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

## §. LV.

*Lautrecus sine pecuniis rursus Mediolanum missus.*

Attamen Lautrecus forte sinistri fati *Belcar. l. 17.*  
sui

Sæcul. XVI. A.C. 1521. fui præscius Franciam relinquere detrectabat; haud enim ipsum latebat, Regis æraria penitus esse exhausta, nec minus perspectam habebat Regis sui foecordiam, ac profusam luxuriam, quocirca iter aggredi constanter recusabat, nisi trecenta aureorum millia suppeditarentur, sine quibus Mediolani Ducatum conservari posse, palam negabat. Nihilominus Sororis suæ precibus, Regis jussu, ac jurata etiam hanc summam submittendi pollicitatione delusus, abire constituit. Ergo veredariis equis vetus e Francia proficitur. Vix Mediolanum veniens nec vanum fuisse timorem suum confestim agnovit; quippe nec pecuniæ advenerant, nec Rex promissi sui memor erat. Ipsa quoque Regina pecunias Lautreco mittendas in alios usus converterat, cum hic illius odium incurrisset, eo quod de turpi amore, quo Regina implicita credebatur, liberius, quam cautius loqueretur. Potissimum vero crescebat Lautreci anxietas, ubi eo vix Mediolanum delato, die vigesima nona Junii in die festo SS. Apostolorum Petri & Pauli fulmen in arcis turrim, in qua pulvis pyrius servabatur, ceciderat, ac non modo turrim ignis violentia uno impetu in sublime rapuerat, sed etiam reliquam ædificii molem adeo concusserat, ut plures per noctes

noctes vigiliis agere oportuerit, donec Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.  
 aucta præsidia, ac murorum ruinæ reparatæ essent; pertimescebant enim Galli, ne forte hostis clam urbem invaderet, eoquod Principes, qui Cæsari favebant, ac magno in numero erant, unice eo curas intenderent, ut favente hoc terrore, quo omnes ex hoc casu percellerentur, arcem expugnarent.

## §. LVI.

*Lautrecus cunctis Nobilibus invisus.*

**E**quidem Lautrecus huic malo remedium ponere sollicitus erat; verum alia ex parte intempestivam exercebat severitatem, qua omnium Mediolanensium Nobilium invidiam in se concitabat. Jam supra memoravimus, Mainfredum Pallavicinum a Grammontio Comite captum, validoque præsidio stipatum ad Mediolanensem urbem fuisse abstractum. Istius ergo supplicio ceteros esse terrendos existimabat Lautrecus, unde adversus eum iudicii acta instrui, Senatores jubebat. Id vero recusabant non pauci, quidam autem illum in Franciam esse mittendum, consulebant, demum exponebant omnes, hac agendi ratione non modo illustrissimas Mediolanensium familias, sed ipsum quoque Pontificem, cui Pallavicinus sanguine junctus esset, vehe-